

CATVLVS SENATOR.

PVblio Clodio violatarum Religio-
num ac manifesti adulterij reo dati
iudices, quia de criminibus cōstabat, sen-
tentiam pronuntiaturi præsidium à Se-
nato petierunt, tum demum peti solitum
cum aliquis reus potens condemnandus
esset: interim P. Clodius ad artes suas, in
extremis casibus sese vertens, aliquos ex
iudicibus illustrium fœminarum, apud
quas consuetudine & muneribus & sua-
rum interuentu precum potens erat, pro-
misso concubitu, & præsçito adulterio-
rum stuprorumque particeps, & ob hoc
sibi propitios fecit, alios magnis pecuniis
oneratos corrupit, quid multa? vbi con-
demnatio sperabatur, summa cum P. R.
& illius seculi infamia absolutus, nocen-
tior absolute quàm crimine: Quo-
niam vt eleganter ait Seneca, Plus est di-
struere adulteria, quàm facere, itaque
prius adulter, post leno, propter primum
accusatus, propter secundum liberatus.
Mira res & vix credibilis, nisi eam claris-
sima auctores literis mandassent. Hos iu-
dices absoluto Clodio mordaciter ludens
Catulus, Senatū his percontatus est ver-
bis. Quid à nobis præsidium poscebatis?

i. iij.